

honore devotissimas, quas possum, exsolvo gratias. Semper enitar, ut mea exigua conamina nec prorsus indigna, quæ Tuis subjicientur oculis, judicentur. Hactenus in historia naturali citra ullum præmium occupatus fui discipulus tanti magistri. Præmium jam, Te nempe Fautorem, retuli. Fautstum atque felicem annum jam inchoatum et omnes secuturos reddat Tibi Deus T. O. M! Augeat ille dies Tuos! qui semper ejus magis magisque manifestam reddidisti et amplius reddes gloriam, sic perficitur ista scientia, quæ tantis, Te Autore, incrementis flore jam gaudet ætatis. Mihi autem, ut in posterum faveas, obnixè rogo.

Literas Dno. Spenglero datas tradidi, ejus quoque feliciæ anni ineuntis vota Tibi refero, grates simulque maximas, pro omni, quo eum condecorasti, honore¹⁾

Fata Mss. et divitiarum, si ita jamjam vocari liceat, quas b. Forskål vita redemit, adhuc manent incerta. Adducta sunt ante aliquot annos collectanea hujus è mari mediterraneo et confinibus terris, imo nonnulla ex ipso Ægypto. Lætam hanc vidi messem, insigneque testimonium diligentissimi viri, cistulas nempe insectis repletas, avium nonnullarum exuvias farcitas, cados pisces, amphibia, conchas etc. in spiritu continentes, sed, proh dolor! fugitivis, ut ajunt, oculis, ita ut nulla sub examen à me revocari possent. Tradita jam sunt Dno Ascanio una cum paucis aliis de Arabia missis. Nescio, sed optandum foret, ut nè harum rerum inprimis piscium magna pars putredine et injuria temporis esset corrupta, et sic inanes evaderent labores. Reliqua, quæ supersunt, collecta, una cum diariis adhuc restant cum Dno Nieburg in portu Indiæ Bombay, unde literas hujus viri ultimas de morte Kramerii habuimus. Semel quoque a piratis spoliatæ sunt cistulæ de Societate transmissæ. Alia, quæ ad historiam naturalem non pertinent, transgredior. Inter Arabicas conchas maxime notari meretur cardium, quod mihi longo abhinc tempore monstrabat Dnus Spengler. Nemini scriptorum, quantum scio, est notum, ideoque descriptionem, qualem suppeditat

¹⁾ Om flere Arter Insekter og Conchylier.